



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

B. Andreas De Chio M. 29. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

ges. Sed a & parentes, & filii, & officium vestrum discite. Ecce XII. annorum filium pater secum ad tyrannum ducit, idque orat, quod pauci orant parentes: *Liceret secum mori filium videre, vel ante se etiam; siave sibi fore etiam contra aliorum parentum vota; filio oculos claudere.* Sciret iudex totū CONONEM non moriturū, si in filio, hoc est, in dimidio sui, viveret. Itaque simul filium neci daret, si totum occisum patrem vellet. Nec verò non lubens comes iverat ad mortē patri filius utiq; sic scipio fessæ, & moriētis ætatis. Sed & facili aure preces tyrannus audiuit. Quare utrumque in craticulam abjicit, igne subjecto formidandam; in plumis diceres molliter decumbere, Oleo bulliente à flammis persundit; inungi ad luctam crederes. In succensam fornacem immittit; ut inter hortos cum patre filius deambulat. Suspendit patrem, appendit dulcem appendicem filium; flammis iterum subdit, manus invictas malleis frangit. Intereā canere illis arrisit; vis nosse quā suaviter? non dubitavit vocem illis suam Angelus jungerē, quam ut primū illi audierunt, non placuit jam morari in vitā, illuc abierunt ubi canere Angelos nunquam non audirent. *Ex Baron. & Pet. de Natal.*

Frustrā appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio Magistri forma esset Discipuli. Et illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus. S. Leo serm. 5, de Nat. D.

B. ANDREAS DE CHIO M. 29. Maij

ANDREAM habes MARIÆ, ut paucis dicam, corculum. Iuvenis annos natus XXVII. cum

M 2

febrī

febri æstuarer, vovit, si VIRGO salutem donaret, sese ei invicem castitatis florem donaturum. Voti damnatus integritatis propositum palam candidâ veste professus est, ut orbis sciret VIRGINIS eum candidatum esse, & vestium nives virginis animi essent indices. Et quidni sic candidatus martyrum etiam honores prensaret? Enimverò Constantinopolim abiit eo ipso tempore, quo fidem Christi prodidit, nescio quis, philosophus. Quisquis fuerit, hoc etiam nomine indignus fuit. Certè potuit barbatus histrio à juvene ANEREA disce-re, primum in Christianâ philosophiâ dogma esse, mortem pro Christo contemnere. Captus enim blandicias & aurea promissa risit. Sævientium verò impetus velut cautes in mari fluctus excepit. IX. omnino dies carnificina duravit. Inter quos potuère Mahumetani flagellis, & uncis lacerare corpus, sed non animum: locis suis artus ejicere distrahereque, sed non in suam sententiam trahere: gladiis humeros secare, membra singula per singulas carnificinas carne spoliare, sed non fide perinde ac constantiâ ANDREAM, qui inter tot dolores oblitus tamen dolorum, unius MARIAE recordabatur, illud unum semper inclamans: MARIA juva me, MARIA juva me. Et verò jovit illa, integrum quotidie corpus ad pugnam suggerens, necquidquam barbatis hoc medicinæ suæ ascribentibus. Demum omnibus cruciatibus superior capite minutus est. Corpus templum MARIAE, animum quidni sinus MARIAE excepit? Ex Suii tom. 7.

In hac lacrymarum exulantes valle clamemus ad Virginem, quatenus agnoscat Mater filios, liberet captivos, delictis caelestibus impinguata famelicos, con-
verint

verat misericordes obtutus suos ad miseros, & offensi Filij iustitiam flectat ad gratiam. S. Laur. Iust. serm. de Aff. B. M. V.

S. ISACIVS C. 30. Maii.

Movebat in hostem Imperator Valens ipse Dei longè maximus hostis; ut qui pro Ariani pugnabat, templisq; Catholicos arcebat. Occurrit eunti ISACIVS noster plenus fatidico spiritu, & libertate Christianâ armatus, monuit, *si pacem in Imperio exoptaret, ne bellum calò faceret: siq; belli portas claudere percuperet, Catholicorum templâ prius aperiret; aliter crederet cum Superis sibi bellum fore, nec nisi sanguine suo, & interitu litaturû Marti.* Hæc inquam, & similia non semel ISACIVS occinebat Valenti. At hic molestum monitorem in obvia dumeta iussit abjici. Scilicet, si spinæ illæ nunquam alias, tunc certè rosas tulerunt, sanguinemq; biberunt, quo rectè erubescerent. Et verò ad formosa spectacula tres Cœlites advolarunt, gestieruntq; à spinis ISACIVM (hoc est rosam) tollere, qui eadem mox oracula tyranni auribus ingessit. Tum verò eum asservari inter vincula iussit Valens, dum redux è bello lictorq; otiosè rideret vatem suum. At hic abeunti illa alterius vatis verba dixit, *Si reversus fueris in pace, non locutus est in me Dominus.* Enimverò Valens acie victus est, & qui fumos vendenti Ario crediderat, fumo igneque in fugâ periit: at ISACIVS vatis honores tulit. Illi urbis portæ ad preces, quoties libuit, patuerunt: illum mortuum omnis Constantinopolis tam luxit, ut unicum hominem omnium humeris crederes efferrî. *Ex Metaphr. & Menol.*

Cooperatores simus gratia Dei: non enim dormiēti-
M 3 bns